



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

X. De iure episcoporum in ecclesias subiectas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

VII.

Placuit quoque presbyteros, diaconos, & reliquos clericos, qui ecclesiasticos tenuerint honores, abstinere omnimodis ab uxoribus, vel reliquis mulieribus. Quod si non fecerint, honore simul & officio priuentur, & a propriis episcopis excommunicentur.

VIII.

Inter hæc quoque placuit noxios diuersorum scelerum diuersis sententiis refrenari. Et quia audiimus quosdam laicorum nefario ausu res ecclesiasticas suis usibus applicuisse, & iniusto dominio in suum opus retinuisse, idcirco omnimodis prohibemus, ut nemo laicorum abbatiam monachorum, vel clericorum archidiaconatum, neque præposituram, vel honorem presbyterii, vel sacrificæ, seu magistri scholæ, neque ullos honores ad ius prædictum pertinentes, ausit suis usibus retinere; & si fecerit, excommunicationi subiaceat.

IX.

Præcipimus quoque ut nullus laicorum aliquid suscipere audeat de rebus aut substantiis defunctorum, nisi quantum ipsi defuncti adhibitis idoneis testibus in vita sua ordinauerint; aut si intestati obierint, ad libitum propinquorum heredum dividantur.

X.

Statuimus etiam, ut ecclesiæ ad sedem pertinentes, quæ soluunt tertium, aut paratam, vel Synodum, solito more persoluant episcopis vel clericis. De iis vero ecclesiis, quæ non dant tertium,

VICTOR  
P. II.

TOLOSANVM. HENRICVS IV. IMP.  
HENRICVS I. REX FR.

575

ANNO  
CHRISTI  
1056. vel paratam , tertia pars decimarum cum primitiis  
& oblationibus , quæ de cœmteriis & defunctis  
consequantur, episcopo & clericis assignetur. Simi-  
li quoque modo statuimus de ecclesiis ad mona-  
steria pertinentibus.

X I.

Item de ecclesiis in alodiis laicorum constitu-  
tis , vt tertia pars decimarum cum primitiis , & pre-  
sbyterio , & ceteris in potestate presbyteri ad serui-  
tium ipsius ecclesiæ sub episcopi , vel clericorum  
ditione permaneant. Qui autem contrarii sanctæ  
matri ecclesiæ & auferunt & retinent ad suum o-  
pus alodia , quæ pertinent ad communites ca-  
nonicorum , vel monachorum , nisi resipuerint , &  
reddiderint ea , prædicto anathemati subdantur.

X I I.

Adulteros vero, incestuosos, ac periuros mone-  
mus per Domini obedientiam , & Petri apostolo-  
rum principis , & domini Victoris , & nostram , vt  
resipiscant a vitiis huiusmodi , & ad dignam satis-  
factionem secundum statuta Canonum perue-  
niant , & excommunicamus id in futuro fieri nul-  
latenus.

X I I I.

Cum hæreticis & cum excommunicatis ullam  
participationem vel societatem habentem præci-  
pue excommunicamus , nisi correctionis vel ad-  
monitionis causa , vt ad fidem redeant catholicam.  
Si qui autem adiuuantes eos defendere conati fue-  
rint, vinculo simul excommunicationis cum eis  
subditi permaneant.